

Q. N. 343, 2.

X 2121574



Curriculum vitae
Joannis Wettensee Consulis
Stettinensis.

BENEVOLO
LECTORI
SALUTEM!



BENEVOLO
LECTORI
SALUTEM



JOHANNES WETTENSEE vixit.

JOHANNI WETTENSEE exequias ire æquissimum
est. Ollus ex adibus. effertur. Effertur, inquam, ex ædi-
bus, satis quidem amplis, at turbulentis, neq; à cura unquam
aut ærumna vacuis, effertur ac defertur in angustam quidem
sepulchri domum, at quietam, at turbarum, quibus omnis
obnoxia est vita mortalium, expertem; contra Anima nu-
dius quintus è fragili corporis ergastuloeducta, Cœli Regiam
ingressa est, sublimibus altam columnis, claram micante auro
& jaspide. Sic imus, sic transimus è castris viventum ad
Ordines diu silentium, sic imus, quo eunt omnia. *Civitatis*
Ille Rei publicæ Confus, Caput Senatus, Curia Decus, egentium
Anchora & Asylum, Vir ad exemplum melioris ævi factus. abiit
ex hospitio molestissimo in Patriam optatissimam, evasit frau-
dum laqueos, quos hostium illa triga, Mundus, Caro, Sa-
tanus lubricæ ponit mortalitati, *excessit* è pelago tempestuo-
so & diu multumq; decumanis malorum fluctibus jactatus,
attigit litus portumq; desideratissimum, *erupit* Mens beata
non aliter atq; avicula, cavea fracta, & evolavit è carcere ad
lætissima Paradisi vireta. Humanas ipse res jussit plaudere,
suos plangere, nos verò sui meminisse. Parere nostrum est.
Ægyptus olim celsissimas eduxit atq; extruxit Turres, Regum
suorū nomina ab oblivione vindicatura. Artemisia Cariæ Re-
gina, conjugii suo Mausolo monumentum erexit tam admi-
randi operis, ut septem inter mundi miracula relatum sit,
at neque Memphis jam barbara, quod jactet, habet, neque
Cariæ, quod miremur, exhibet, præter rudera, ab edaci re-
rum tempore consumenda, nos perennius aliquod monu-
mentum Patrono optimè merenti exacturi, memoriam Ipsius
animi tabella memori scribemus Ararimq; Parthus ante bi-
bet,

bet, Tigrim Germania, quam nostro Illius labetur pectore
Vultus Virtusque, quod si benignior nobis natis Natura ri-
sisset, chartis etiam semper victuris laudatissimi Viri nomina
meritaque mandaremus. (neque enim incisa notis Marmora
publicis clarius indicant laudes, quam eruditi calami) arenti
verò venæ negata hac facultate, majorum gentium Scriptori-
bus id præstandum relinquimus. & vitæ saltem curriculum,
longioris ævi spatio feliciter decurso, rudi sermonis stylo
filoque enarramus. In oppido itaque Saxonie Inferioris
noto, nec ignobili, *Alfeldia* natus ὁ μακαρίτης JOHAN-
NES VVETTENSEE, Anno 1589. d- 10. Martii Pa-
trem habuit LEOPOLDUM VVETTENSEE, Virum Ordini
in Patria sua Senatorii, Matrem ANNAM *Peinen*/ loco
natam honestissimo, qui Parentes de hoc suo Filio à teneri-
rite recteque educando solliciti, in patria primùm Schola Ma-
gistris fidelissimis eundem informandum tradidere; quia
autem Mens generosior cœlum imitatur ac motu gaudet,
maturè materno relicto gremio terras alio calentes sole in-
visere gestiit eaque propter *Hannoveranam, Hildesensem,*
Halberstadensem, Scholas olim hodieque celebres, cum fre-
quentasset, in Gymnasio Pomeraniae Celeberrimo, quod
Stetini est, solidum biennium, inque laudatissima Schola
Eimbeckensi tantundem exegit temporis, & cum Docentium,
tum Hospitum obsequio mitigare doctus imperia, & his,
& illis charissimus semper fuit; cum verò ad Mercurialiapo-
tius, quam Palladia excolenda studia eundem ipse genius in-
vitaret; Propinquis haud refragantibus, ad mercaturam ani-
mum, nullius non rei bonæ capacem, appulit, hinc per an-
nos bis quaternos Bremæ & Langensaltzæ negotiationibus
tractandis operam navavit iisque, quorum ultro sese servitio
addixerat, solertiam suam atque industriam mirificè probavit,
ita

ita ut rectè factorum individua præmia, Laus & Gratia, nusquam & nunquam sic agenti defuerint. Libertatis donatus pileo annum ætatis quintum & vigesimum attigerat, cum *Bleicherode* in vicinia novus Negotiator sedem fixit ibique per annos quatuor & viginti commoratus, & Anno curr. sec. 1623. *Consul*, proximè sequente *Prætor* factus, consilio suo juxta ac sumtu circum strepentium armorum pericula atque imminentem perniciem, bene juvante Deo, persæpe avertit. Anno 1638. majore vi belli coactus penates suos huc transtulit, tutiore, ipse ut opinabatur, loco reliquam vitam exacturus, at Scyllam vitans in Charybdim fumumque fugiens in flammam pæne incidit, cum eo & sequentibus annis Libera hæc nostra Northusa militaribus excursionibus atque exactio- nibus acerbissimis divexata fuerit atque afflicta miserrimè, in qua tam misera miserandaque temporum conditione, qua re- cunqve potuit, laboranti ipse Civitati subvenit, neque ferè tam periculosum fuit aut molestum iter, quod, salute Ille publica exigente, non susceperit, non perfecit, Deo Duce, Prudentia comite, feliciter, ideoque cum tam solerter Eundem provideque & sua & publica tractare negotia cernerent, quibus publicæ cura Rei mandata erat; An. 1644. *Quatuorvirum* & quinto decimo postanno, nempe An. 1659. *Consulem* elegerunt, renuntiârunt, proclamârunt, quæ tam ardua Ipse Munera, ut & Scholarchæ Officium & Hospitaliorum, ut vocant, Curatelam ea Fide, Vigilantia, Cura gessit atque administravit, ut publico maximè bono natus esse videretur; certè in ornamentis commodisque Northusæ nostræ promovendis augendisque totum fuisse, publica privataque, vel nobis tacentibus, loquuntur Ædificia; & quanquam regnandi provincia, quam splendida vulgò videtur, tam periculi molestiæque plena est, unde Rex olim Antigonus diadema capiti imposi-
A 3 turus,

turus, ô nobilem, ajebat, magis, quàm felicem pannum, quàm
propter & Purpuratorum personatam Seneca dicebat felicitatem,
Wettenseium tamen Pectus ære Constantiæ & triplici
Prudentiæ robore munitum, sub tutela ac præsidio Supremi
Regentùm quævis difficultatum atq; adversitatum tela excep-
pit illæsum infractumq;ve, nec fracti metuens orbis ruinas.
Præterea summum Dignitatis Gradum Vir laudatissimus in
hac Civitate nostra adeptus, cum calceis mores, ita ut sit, mi-
nimè mutavit aut cuiquam consilii sui suæq; opis indigenti
aditum negavit facillimum, ratus ad obtinendam Civium be-
nevolentiam proximam hanc & quasi compendiarium esse
viam blandè dicere, benignè facere, & præmia pœnasq;ve
lance non iniqua distribuere, cumq;ve *Hereditarius* in Pago
vicino *Saltza* etiam foris haberet, cui imperaret, suæ subditos
potestati ita tractavit, ut de ulla acerbitate impariq;ve viribus
onere vix quisquam parentium questus sit, ulloq; jure queri
potuerit. Conjugali jugo cervices tertia vice, Deo sic vo-
lente, submisit & quidem Anno 1617. Uxorem duxit Pudic.
Castissimamq; tum Virginem, CATHARINAM, Conradi
Mülleri, Civis Alfeldensis primarii Filiam, quam, septem
susceptis Liberis, & tribus quidem sexus melioris, præmatura
omnibus morte amissis, amisit non sine mœrore acerbissi-
mo Anno 1647. hinc Anno 1649. ad secunda vota transiit in
Uxorem ducta Castissima Virgine, CATHARINA Helbigen /
quam è sacro Ipse fonte susceptam pro Filia eduxerat, genuitq;
hac Matre Filium (S. T.) DN. JOHANNEM WAL-
THERUM, LL. Candidatum, qui ultimum Parenti piè
defuncto mœrenti animo ac pede præstiturus præstò est offi-
cium, geminamq; Filiam, quarum altera recens in lucem edi-
ta, unde venerat, rediit, altera verò (S. T.) DN. MARTI-
NO KEGELIO, Utr. Juris Candidato, paucis abhinc
mensi-

mensibus desponsata calente itidem lacryma spargit cineres
Parentis; verum & hanc Conjugem, insigne Matronalium
Virtutum exemplar, qua cum concordissime suavissimeque
quinque decem annos vixerat, atra dies abstulit Anno 1664.
quo eod. anno, cum ingravescentis imbecillitas ætatis & nu-
merosæ cura Familiæ Adjutricem non tam posceret, quam
efflagitaret, Conjugali sibi fœdere junxit Matronam hono-
ratissimam, SUSANNAM SIBYLLAM, Nobilissimi atque Expe-
rientissimi Viri DnL. JEREMIAE **Gottwalts** / in Aula
Schvartzburgica Ditionis Sondershusanæ, Medici celebra-
rimi relictam Viduam, quod ultimum Conjugium satis con-
cors ac felix, expers licet liberorum, fatalis jam hora non sine
luctu ac mœstitia partis solvit superstitis. Ad exitum vitæ
quod attinet, cum annum jam ingressus esset quintum & octo-
gesimum verenda raraque Canitie Senex, Natali suo solenni ri-
tu celebrato, mortis dies, quem & ipsum natalem pia dixit
Antiquitas, appropinquavit viribusque senectutis morbo deje-
ctis consumtisque cum paucis ante hebdomadibus nobilissimo
animæ Viatico instructus ad ultimum iter pulchre se preparas-
set, preces inter & suspiria Eorum, quos semper dilexerat, die
23. Martii sub ipsam lucem in cœlo lucidissimam aditu-
rus, placidissime obdormivit, cujusque vita optima, mors fuit
beatissima, cum alternante vices fortuna aut potius provido
Dei oculo, prospera adversaque vidisset plurima inque his terris
annos octoginta amplius, quos mortalium attingunt paucissi-
mi, singulari cœli clementia feliciter & cum laude exegisset.
Quæ de Laudibus, de moribus, de Fama rebusque gestis hujus
Viri laudatissimi dicenda restarent, Chartæ hujus angustia,
quod vides, B. L. non capit & quidem quam ille aperta can-
didaque fronte fuerit, quam æqui bonique amans, quam gratio-
sus

Z/ 4880
sus apud illustrissimos Comites, apud Generosos Nobiles, apud omnes omnium Ordinum homines, quam beneficus erga gregem pauperum pauperisque; Musæ Alumnos, quam sollicitè studiosus in erroribus, à quibus immunis ex homine natus nemo est, emendandis, quam etiam latè famam per Germaniam non tantum nostram, sed exteras etiam regiones tam frequenti & copiosa negotiatione diffuderit, dicere superfedemus, cum ea ignota esse opinemur nemini in hac Civitate ac Vicinia, acutioris etiam crenæ calamum Virtutes tantæ laudesque poscant. Ossa tua, *Beatissime Consul, Patrone Maxime*, quiescant mollissimè, dum Anima Cœlitum ad scripta ordinibus, Corpori è terræ revocato pulvere jungatur, superstes tua *Fama* nostra & Posteritatis, si qua futura est, ora perambulet geminaque Proles, quam reliquisti, perenni gaudeat floreatque felicitate. Cum verò hic dies Exequiis solenni more peragendis dictus sit, omnes & singulos, qui benigniore aspectu, quæ hic scripta sunt, dignantur, officiosè rogamus, iis autem, qui sub Signis nostris militant, imperamus, ut ultimum honorem beatissimis Manibus Consulis, Evergetæ, Amici tam præclarè de multis meriti, præstituri, frequentes, lubentes, uti jus, uti fas est, compareant, Amicis Officia quælibet, Discipulis operam, quæ à fideli Magistro expectari potest, spondemus paratissimam. P. P. d. 27. Mart. An. 1673.

Suo & Collegarum nomine

M. Friderico Hildebrando Sch. North. R.

JOHANNES WVE
JOHANNI WETTENSE

est. Ollus ex adibus. effertur.
bus, satis quidem amplis, at turbul
aut ærumna vacuis, effertur ac de
sepulchri domum, at quietam, at
obnoxia est vita mortalium, exp
dius quintus è fragili corporis erga
ingressa est, sublimibus altam colu
& jaspide. Sic imus, sic transi
Ordines diu silentum, sic imus, c
*Ille Rei publicæ Confess, Caput Sen
Anchora & Asylum, Vir ad exempl*
ex hospicio molestissimo in Patria
dum laqueos, quos hostium illa
tanus lubricæ ponit mortalitati, e
fo & diu multumque decumanis n
attigit litus portumque desiderat
non aliter atque avicula, cavea fra
lætissima Paradisi vireta. Hum
suos plangere, nos verò sui memi
Ægyptus olim celsissimas eduxit a
suorū nomina ab oblivione vindica
gina, conjugii suo Mausolo monu
randi operis, ut septem inter m
at neque Memphis jam barbara,
Caria, quod miremur, exhibet, p
rum tempore consumenda, nos
mentum Patrono optimè merenti
animi tabella memori scribemus

